



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi**

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Veluti Totidem Ramos  
Distributa

**Ilsung, Jakob**

**Dilingæ, 1693**

Meditatio CCXX. Continuatio Sermonis Christi cum Nicodemo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

10 *Ab Octava SS. Corp. Christi usque ad Adventum.*

suscepit, & longa oratione instruxit: sic Proximo etiam importuno, ac incommodo tempore te libenter impertas.

PUNCT. III. Considera, quod sicut Nicodemo non profuit, ut ad Christum veniret, ac Salutem ab ipso consequeretur; sic adversa, & tribulationes, quae in sensu Morali & Metaphorico noctis vocabulo designantur, plurimum nobis proficiunt, ut ad DEVM accedamus, & Salutem consequamur. Hinc Psalmista DEVM alloquens inquit Ps. 82. v. 17. *Impie facies eorum ignominia, & querent nomen tuum Domine.* Et propriam experientiam allegans Ps. 16. v. 3. ait: *Probasti cor meum, & visitasti nocte: igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas.* Sic & tu invigila, ut nocte venias ad DEVM, & per adversa sapientior ac melior reddaris, ne inveniatur in te iniquitas.

## M E D I T A T I O C C X X .

### *Continuatio Sermonis Christi cum Nicodemo. Ioan. 3. v. 3.*

PUNCTUM. I. Quia Nicodemus agnovit Christum, Magistrum à Deo missum; ideo, ut ex responsione Christi patet, interrogavit eum, quid faciendo Vitam æternam, & Cælestis Regnum possideret. Respondit JESVS, & dixit ei: *Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre Regnum DEI.* Joan. 3. v. 3. quod magis declarans, dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex Aqua, & Spiritu Sancto, non potest intrare in Regnum DEI.* *Quod natum est ex carne, caro est, & quod natum est ex Spiritu, spiritus est.* Joan. 3. v. 5. Itaque gra-

gratus agnosce hoc Beneficium, quod præ innumeris hominibus eo destitutis, renatus sis ex Aqua & Spiritu Sancto; ac postquam Christus ex purissimo Sanguine M A R I Æ, obumbrante Spiritu Sancto, conceptus est Filius Hominis, tu ex aqua, obumbrante & cooperante Spiritu Sancto, sis speciali modo natus Filius adoptivus ipsius Dei, & Spiritus, id est, Filius Spiritus, sive secundum Spiritum vivens effectus. Tunc ergo censeberis satis agnoscere ac æstimare hoc Beneficium, & Dignitatem Filij Dei, & satisfacere illis verbis: *Quod natum est ex Spiritu, Spiritus est, si Spiritu facta carnis mortificaveris.* Audi S. Paulum Rom. 8. v. 12. *Ergo fratres debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus; si enim secundum carnem vixeritis, morienni: si autem Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* *Quicunque enim Spiritu DEI aguntur, it sunt Filii DEI.*

PUNCT. II. Alterum documentum, quod Cælestis Magister Nicodemo dedit, est, viva Fide agnoscere infinitam illam Charitatem Dei erga homines, quod Filium suum Unigenitum dederit hominibus, non ut judicaret illos, sed ut salvaret, & ut crucifigeretur pro ipsis. *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto; ita exaltari oportet Filium Hominis, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat Vitam æternam.* Sic enim DEVS dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret &c. Non enim misit DEVS Filium suum, ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Quid retribues tantæ Charitati Patris, & Filij? Nempe te totum reddes, nihil tibi reservans, & non tantum abnegans temetipsum; tolles Crucem tuam, & bajulabis eam quotidie; & mundo moriens, illud S. Pauli dictum

12 Ab Octava SS. Corp. Christi usque ad Adventum.  
dictum implebis, Gal. 2. v. 19. Christo confixus sum  
Cruci.

PUNCT. III. Tertium documentum Nicodemo  
à Divino Magistro traditum refertur à Joanne. c.3.v.  
19. *Hoc est autem iudicium: id est, causa iudicij & con-  
demnationis; Quia Lux venit in Mundum, & dilexe-  
runt homines magis tenebras, quam Lucem &c.* Nempe  
Christus, qui est Lux mundi, venit, ut suâ Doctrinâ  
& Exemplis dissiparet tenebras ignorantiae, falsorum  
dictaminum, errorum practicorum circa mores, &  
ipsorum peccatorum, quæ passim in Scriptura tene-  
bræ appellantur: sed *Dilexerunt homines magis tenebras,  
quam Lucem.* Hoc proinde documentum Ni-  
codemo, & tibi Cælestis Magister indicavit, ut omni  
mundi Sapientiae, quæ aliud nihil est, quam tenebræ,  
præferas Doctrinam Christi: & ab ejus Exemplo,  
nullis hominum factis, aut dictis te dimoveri per-  
mittas.

## M E D I T A T I O CCXXI.

*S. Joan. Bapt. suorum Discipulorum  
cum Christo emulacionem reprimit.*

Joan. 3.

PUNCTUM I. Cùm Christus ex Metropoli Judææ,  
nempe Jerosolymis, ubi Nicodemum & multos  
alios ad credendum in se converterat, cum Discipulis  
suis in reliquam Judææ regionem venisset, & per Di-  
scipulos suos in eodem flumine Jordane, in quo Jo-  
annes, multos ad se accurrentes baptizasset; *Facta est  
questio ex Discipulis Joannis cum Judæis de Purificatione.*  
Joan.